



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Explanatio puncti 6ti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

De operibus quotidianis. § 5

necessaria est, opinionem amittis; & simul tamen juxta reg. 18. religiosam modestiam & humilitatem, cui ex intimo cordis affectu studere debes, in omni actione praeferas. Nam sine demissione animi, ut docet S. P. N. apud Turcelin. L. 4. c. 17. germanaque humilitate non tibi, aliisque prodesse poteris, non DEO carus eris, imò illud (solebat idem S. P. N. dicere) pro certo tenemus, multò magis veram submissionem ad salutem & conversionem animarum valere, quàm humanam auctoritatem vel cum tenuissima ambitionis aut arrogantis suspitione conjunctam. Hinc cui ex splendidis officiis aliquid adheret vanitatis, minùs sapè boni faciet, quàm simplex frater.

Explicatio puncti 6ti.

ANte omnia cave, ne genius quidam dominativus, acer, impetuosus, impatiens, ad invectivas, scommata pronus in te appareat. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina,* ad Tim. 4. ut ille, quibuscum agis, omninò persuasi sint, te nil dicere aut agere, nisi ex vero erga eos amore, & spiritu genuino Christi, qui fulgura & fulmina evocantes è cælo Discipulos increpavit, & hanc perpetuò iis lectionem dedit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Quod à DEO est, cum humilitate & obsecratione imperatur: quod autem ex potestate, cum furore & perturbatione, à maligno est, agebat quidam Senex in vit. PP. L. 5. c. 15. & Aug. Tr. 7. in Epist. 1. Joann. c. 3. Semel breve

tibi praeceptum praecipitur: Dilige, & fac, quod vis. Sive taceas, dilectione taceas, sive clames, dilectione clames, sive emendes, dilectione emendes, sive parcas, dilectione parcas; radix sit intus dilectionis: non potest de ista radice non bonum procedere. Altè in cor immitti à quovis nostrorum meretur, quod Lanc. narrat B. Magdalena de Pazzis à Deo ostensum esse: se scilicet in Spiritu S. Joan. Evang. & S. P. N. Ignatii mirè sibi complacere, quòd uterque conatus sit per viam amoris homines ad suum ultimum finem perducere, hancque complacentiam sibi toties renovari, quoties S. Ignatii filii eundem modum in convertendis peccatoribus tenent, & observant mansuetudinem in corde, modestiam in lingua, Nec satis exprimi potest, quomodo ejusmodi genio praediti cordibus hominum dominari possint. Hinc, sicut aptissimi sunt ad fructuosè conversandam, ità & ad alios gubernandos. Sicut econtra, qui dominativus est ac praecipuus, utcunque aliàs doctus, ingeniosus, in spiritualibus versatus sit, ad regendum ineptissimus est: & tamen homo talis nescio quam sibi de se ipso sapè ideam format, putat se esse terribilem aliis, magnaque efficere posse; sed alii vel ipsum irrident, vel, si caritate, ut decet, pleni sunt, magnam habent cum Sicophanta compassionem. Interim cogitant illud Isai. 15. 16. *Moab superbus est valde: superbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus plus, quam fortitudo ejus.*

Expla-